



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput III. Num Actus exterior addat interiori bonitatem aliquam, vel
malitiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

CAPUT III.

Num Actus exterior addat interiori bonitatem aliquam,
vel malitiam.

SUMMARIUM.

1. Explicatur status Questionis.

2. Dantur externa peccata, & externa virtutum officia.

3. Actus boni vel mali reddunt opus majus extensive.

4. Propositio.

5. & 6. Probatur.

7. Externa actio per accedens est nequitiæ augmentum.

8. 9. 10. & 11. Respondetur Objectionibus.

1.
Explicatur
status quæ-
stionis.

PERTRACTATA à veteribus Scholasticis cum Magistro in 2. Sent. dist. 42. illa quæstio, *An voluntas, & actio mala in eodem homine, & circa eandem rem sint unum peccatum, vel plura*, sensum patitur multiplicem: quem si scite distinguas, plenissimam hujus dubitationis consequeris intelligentiam. Vel enim inquiritur, sitne exterior operatio peccatum: vel num peccatum operationis externum sit numero diversum à pravo desiderio illud perpetrandi: vel denique, an, dum reapse committitur, quamdam induat malitiam vel turpitudinem, qua carebat præconceptum, & adhuc latitans in voluntate. Atque idem per antithesim de recta intentione, & consequente bono opere inquiritur.

2.
Dantur ex-
terna pecca-
ta, & exter-
na virtutum
officia.

Externam itaque operationem Divina lege prohibitam, ut furtum, homicidium, fornicationem, crimen esse, atque externum opus Divinis mandatis præceptum, ut Dei cultum, observantiam festorum, honoremque parentibus exhibitum, habere ex ipso officio laudis decorisque splendorem, non est in disputationem trahendum. Nam peccatum illud est, quod legi adversatur æternæ: & opus virtutis, quod ipsa lege præscribitur. At plures externas actiones prohiberi, ac præcipi plures alias, non est qui compertum non habeat, atque exploratum. Perspicuum est ergo dari cum externa peccata, tum pariter externa virtutum officia.

3.
Actus boni
vel mali red-
dunt opus
majus exten-
sive.

Actus istiusmodi externos reddere bonum, aut malum opus majus *extensive*, atque illud quasi explicare, res per se loquitur. In actuali enim opere peccatum ex intimo corde foras ministerio sensuum erumpit, veluti dum mortuum cadaver è domo effertur ad tumulum. Quare externum opus etiam diuturnioris voluntatis indicium est, & animi pravitatem vel rectitudinem demonstrat esse ampliorem. Et quidem retrahente se animo quiescunt corporei motus, veluti inferiores rotæ, dum pri-

ma consistit, neque dari potest externum liberum opus, si repugnet voluntas. At fieri tamen potest, ut animi intentio, sive improba sit, sive recta, vigeat ac perseveret, etiamsi opus non perficiatur exterius, cohibente illud causa aliqua ab intima voluntate animoque diversa. Hoc pacto qui exardescit concupiscentia oculorum, *jam machatus est*, ut habetur in Evangelio Matth. v. 28. & cum possit voluntas ab opere separari, & ad opus procedere; multiplicata sunt præcepta, E. G. *Non furtum facies, & Non concupisces rem alienam*: in quorum uno prohibetur opus, quod voluntate mala peragitur; in altero damnatur ipsa mala voluntas. Ex quibus infertur malitiam, quæ deprehenditur in furto, esse amplificationem quamdam pravitatis præexistentis in animo furis; & quasi progressionem concepti partus ex utero ad lucem: nec esse diversum omnino peccatum quod uno, & peccatum quod altero præcepto est prohibitum; quemadmodum idem est quod concipitur, & quod nascitur, idem cadaver latens domi, & funere elatum, idem quod facere cupio, & quod facio. Atque hæc aperte dirimunt positam secundo loco dubitationem.

Videndum ergo superest, an hæc major explicatio peccati, quemadmodum certissimum est argumentum diuturnioris malitiæ, animique in malo perseverantis; ita peccatum ipsum adaugeat, adeo ut plus habeat meriti, vel dedecoris operatio cum interno affectu conjuncta, quam ipse intimus affectus absque operis executione.

PROPOSITIO: Externum opus nihil per se addit decoris, aut turpitudinis interiori voluntati in rem honestam, iniquamve deliberate vergenti: nec pensatur apud Deum ex officio, sed ex animo præmii dignitas, vel supplicii.

Demonstratur autem: Si externum opus bonitatem, aut malitiam superadderet actui voluntatis interiori, non

4.
Propositio.

Probatur 1.
ex 8. Scriptu-
ra actum ex-
ternum non
superadde-
re bonitatem
aut malitiam
actui volun-
tatis interiori.
can.

eandem promereretur retributionem, aut pœnam; qui habet æque efficacem voluntatem opus rectum, perversumve parandi, sed vel viribus destitutus est, vel occasionem nequit nancisci, vel externis adminiculis caret; ac debeatur ei, qui potestate, cæterisque adjumentis præditus opus intentum exequitur. At Scripturarum sanctorum Patrum, aliorum Scriptorum sententiis, necnon humanæ rationis lumine constat eandem ab utroque referendam esse mercedem, vel pœnam. Operis ergo exterioris impendium nullam per se facit bonitatis, aut malitiæ accessionem. Minorem 1. sacræ literæ comprobant. Abrahamo enim propter sinceram animi voluntatem, acsi actu immolasset filium, à Domino dictum est Gen. xxii. 16. *Quia fecisti hanc rem, & non pepervisti unigenito filio tuo propter me*: quæ verba expendens Chrysostomus hom. 47. in Genesim, *Quantum ad voluntatem attinet*, inquit, *cruentaverat dexteram Patriarcha, & per cervicem pueri immiserat gladium, perfectumque obtulerat sacrificium*: & idcirco Dominus quasi sacrificio re ipsa consummato laudat justum. De muliere etiam paupercula, quæ in Gazophylacium, sive ararium Ecclesiasticum, miserat duo tantum æra minuta, ait Dominus Lucæ xxi. 30. *Vidua hæc pauper plus quam omnes misit*, magis animum profecto pensitans, quam censum. Petrus pariter posteaquam retia, tenuissimumque patrimonium reliquerat, quasi dimissis prædiis multis, amplissimisque divitiis, inquit Matth. xix. 27. *Ecce nos reliquimus omnia*. Apostolus quoque Paulus in 2. ad Corinth. cap. viii. 12. ait: *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id, quod non habet*; demonstrans nullam Deo acceptam esse oblationem, quæ ex corde non sit, neque aliam promereri mercedem præter eam, quam postulat æqui rectique animi intentio. Atque idem de malis operibus asserendum est. Etenim, ut paulo supra dicebam, si quis mulierem aspiciens intemperanter concupiscentiæ illius animum mancipaverit, jam ex Dominica apud Mat. cap. v. sententia, *macchatus est eam in corde suo*. Et Jacobus cap. i. 15. solam concupiscentiam esse quasi matrem peccati declarat, scribens: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*. Opus itaque externum à nobis supra comparatum concepti partus nativitati trahit à proposito pravi intentionis, veluti à

materno utero, quidquid habet fœditatis, atque dedecoris.

Hanc esse sanctorum Patrum sententiam liquet ex productis verbis Chrysostomi. Augustini autem perspicua sunt, quæ habentur lib. i. de lib. arbit. cap. 3. *Si cui non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit eum cupere, & si potestas detur esse facturum, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur*. Et in serm. xviii. alias 220. de temp. *Si forte (inquit) conversus ad Deum statim morieris, opera tua nulla inveniuntur in illo thesauro? Plane ibi inveniunt opera tua, quia scriptum est, Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Deus non annotat facultatem, sed coronat voluntatem. Scit quia voluisti, & non potuisti, sic te annotat quasi feceris, quod voluisti*. Et in Epist. ad Deogratias xlix. nunc cii. q. 4. probat solum voluntatis affectum esse omnium factorum, meritorumque mensuram, quoniam ex qualitatibus voluntatum, non ex temporum spatiis, sive recte facta, sive peccata metimur. Alioquin majus peccatum haberetur arborem decicere, quam hominem occidere: illud enim sit longa mora, istibus multis, hoc uno istu, brevissimo tempore. Ex quo loco peracutatas argumentationes depromit Arimænis in 2. sent. dist. 42. & 43. concl. vii. S. martyr Cyprianus in Epist. ad Lucium scribit dilata martyria non minuire meritum confessionis. Bernardus Epist. lxxxvii. docet voluntatem reputari pro facto, ubi factum excludit necessitas. Idem præcedentibus Ecclesiæ sæculis tradiderant Actor Quæst. ad Orthodoxos, Tertullianus de Pœnitentia, alique permulti.

Perceperunt vero manifestam hanc veritatem Scriptores alii, sive literis sacris imbuti, sive naturali tantum Philosophia. Differens quippe Philo Judæus de lege Moysis, ait: *Par judicari crimen hoc aliquem egisse, ut occideret, & occidisse Seneca, Latro est (inquit) etiam antequam inquinet manus. Exercetur atque aperitur opere nequitia, non incipit*. Ex Aristophane desumptum est Græcorum illud effatum, *Δύστας γὰρ ἴσα τὸ δρᾶν τὸ ποιεῖν*, quod latine sonat, *Par est facere, & voluisse malum*. Juvenalis post Herodotum narrat de Glauco Historiam cum illo Epiphonemate,

Has patitur penas peccandi sola voluntas.

Et jure meritoque. Externa enim operatio in tantum contaminatur, & red-

Probatur 2.
ex Ss. Patribus.

6.
Probatur 2.
ex aliis Scriptoribus & ratione.

ditur flagitiosa, in quantum procedit à libera voluntate. Homicidium quippe per industriam, insidiisque paratum ob pertinaciam inveterati odii gravius est, quam si à rixantibus fiat, ut colligitur ex cap. 21. Exodi. Si telum manu effugiat, vix reputatur in culpam; si autem penitus involuntarium sit, nulla dignum est animadversione. Quod si animo obversetur, & adeo hominem odio habeas, ut facta potestate illud morte afficeris; jam censendus eris homicida, juxta Joannis sententiam 1. Epist. 111. 15. Ipsa ergo cades, & aliena vitæ violatio gravior est duntaxat ob intimam, & corde conceptam acerbitatem. Insuper si duo in occisionem alterius conspirantes consimili odio tabescant, unus autem robustior pluribus vulneribus hostem confodiat, alius debiliior viribus plagas inurat leviores; si uterque ense aggrediatur inimicum, etiamsi is unius ictu de medio tollatur, declinato, aut forte fracto pugione alterius, eadem punitione plectendi sunt, quamvis in externo opere se gesserint inæqualiter. Præterea, ut ratiocinatur Hugo lib. 21. de Sacram. p. 14. ubi plus datur, & ubi minus, differens meritum non est, si æqualis voluntas habeatur: & ubi aliquid datur, & ubi nihil datur, differens meritum esse non potest, si æqualis sit utriusque voluntas, ideoque totum meritum in voluntate est. Tandem ne apologum prætermittam, de quo legendus S. Pater in Ps. xc111. lupo tantum cupiens nocere, quantum leo, perterritus canum latratu fugit ab ovium caula, dum leo animosior neque canum rabiem pertimescens agnum unum carpit, & dilaniat: & nihilominus nunquid lupo innocentior remeavit? Itaque exterior actio per se peccatum, aut meritum non adauget: & à sola voluntate pensandam esse operum qualitatem moralem commonstrat Divina Scriptura, docent Patres, affirmant Scriptores alii, & ratio evincit humana; quod erat demonstrandum.

7. **Externa actio per accidens est nequitiae augmentum.** Animadvertas tamen consulto fuisse à me appositam particulam *Per se*, cum per accidens externa actio sit proculdubio nequitiae scelerisque augmentum. Nam primum apparet, ut diximus, in opere interior animi pravitas diuturnior, & perseverans. Deinde actionis exercitamento magis præconcepta delectatio titillat, inhiatque animus, dum explet, quod concupierat, fluxis voluptatibus vehementius. Quare Hugo Victorinus loco citato, objicienti cur post voluntatem opus requiratur, si per

ipsum nihil additur meriti; respondet requiri, *Ut opere voluntas augeatur: tale etenim est cor hominis, ut opere suo amplius inardescat, sive ad bonitatem amandam, si rectum, sive ad malitiam, si pravum est.* Et addit: *Si forte contigerit tantam esse voluntatem in eo, qui non operatur, quanta est in illo, qui opus exercet, ubi voluntas eadem est, meritum dissimile esse non potest.* Aperta tamen ratio suadet, cur bona opera, dum possumus, actu peragere teneamur, nec sufficiat semper intentio: quoniam, scilicet, voluntas non est efficax, si non operetur, dum potest. Postremo oriuntur ex bono opere commoda plurima, maxime ædificatio proximorum, & mutue necessitudinis vinculum: quemadmodum pariunt ex adverso operationes nequitiae subversionem, scandalum, aliaque detrimenta.

OBJECTORUM RESOLUTIO.

Ad revincendam thesim superiorem, 8. proferri possunt quædam ab auctoritate, 8. & à ratione argumenta. Quæ petuntur ab auctoritate sunt. I. Concilium Neocæsariense mandat, ut Deo gratiæ agantur, si peccandi cupiditatem foventibus subtraxerit occasionem. II. Augustinus in 3. de Trinit. cap. 5. ait: *Miser est, qui malum vult, sed miserior, qui malam voluntatem adimplet.* Ex Tract. LVIII. in Joan. de lotionem pedum inquit; *Multo autem est melius, & sine controversia verius, ut etiam manibus fiat, nec dedignetur, quod fecit Christus, facere Christianus.* Ubi opus externum magis deprædicat, & commendat, quam solam eorum voluntatem, qui recipientes hospitio Sanctorum pedes non lavant, tamen quod manu non faciunt, corde faciunt. III. Inter errores Petri Abaelardi proscriptus est tertius decimus: *Nos vero dicimus, quod sola voluntas à Deo æternaliter remuneretur, sive ad bonum, sive ad malum: nec propter opera pejor, vel melior efficitur homo, nisi forte dum operatur in aliquo, voluntas ejus augmentatur.* Videtur autem hic articulus in positionem nostram per omnia collineare. IV. Ecclesia percutientem, vel occidentem Clericos punit excommunicatione, & irregularitate, neque his penis in Clericum odio habentes animadvertit. Contra censet deberi martyrii aureolam iis, qui fuderunt pro Christo sanguinem; non autem si solo animo perpeSSI fuerint tormenta. Actus itaque externus supplicii, ac præmii dignitatem adauget.

Resp.

9.
Reſponde-
tur.

Reſp. his omnibus demonſtrari tantummodo, quod in actione externa appareat voluntas efficacior, diuturnior, vehementior; & idcirco opus etiamſi præcipiatur, & magnopere commendetur, non per ſe, ſed ratione ardentioris illius voluntatis adauget meritum. Igitur Concilium Neocaſarienſe præcipit, ut Deo gratiæ referantur, ſi Clericis in fornicationis crimen propenſis ſubtrahatur occaſio; quoniam ſine operis complemento vitantur ſcandala, & ſerveſcens libido tepeſcit. Canone tamen quarto declarat eadem Synodus ſcelere ipſo fornicationis Clericum inquinari, *ὅταν ἀποδείξῃται ἐνιδύοντος γυναικός, ſὶ προ-
poſuerit ſolicitare feminam.* Rectiſſime pariter Auguſtinus miſerabiliorem appellat, qui pravam intentionem opere explet, quoniam is habet mali voluntatem non ſolum deliberatam, ſed & robuſtiorē, forasque inſtar putreſcentis maciei erumpentem. Hortatur etiam jure merito, ut factis Chriſti compleantur exempla, quoniam prompta efficacique voluntas operari non renuit: atque ut idem Auguſtinus ē veſtigio addit, *Cum ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipſo excitatur, vel ſi jam inerat, confirmatur humilitatis affectus.* Abaelardi damnatus articulus eſt: *Propter opera nec melior, nec peior efficitur homo,* abſque aliis verbis ſupra recitatis. Quod Abaelardus aſſeruit, propterea quod exiſtimavit nullum opus eſſe peccatum, ut conſtat ex illius art. XIX. Merito proinde damnatus fuit, quoniam inutiles putavit actiones; à quibus iniquum eſt, dum illas complere tenemur & poſſumus, abſtinere. Excommunicatio, & aliæ cenſuræ interdum pro levioribus erratis inſiguntur. Gravius enim peccat, qui laicum interimit, quam qui ſanabili vulnere offendit Clericum; nec ille tamen incurrit excommunicationem: & inhoneſtum, ac turpe eſt magis ſurari, & fornicari, quam veſci carnibus die Veneris, & nihilominus excommunicatione plectitur peccatum iſtud, non illud. Et optimo quidem jure. Enimvero cum delicta à legibus damnantur, & à cuſtodibus ipſarum legum puniuntur; cenſuris Eccleſia in illos animadvertit, qui parvipendunt religionem Chriſtianam, contumelioſe ſe gerunt in Eccleſiaſticam Hierarchiam, & fidelium communionem moribus hæreticorum commaculant. Ad martyrium, quod attinet; vix fieri poteſt, ut in

ſolo patiendi deſiderio tanta ſit charitas, ac tolerantia, quanta eſt in ipſa ſanguinis profuſione: atque ſi tanta ſit, non deeſt martyrii palma, quomodo de D. Martino teſtatur Eccleſia. Ac præterea martyrium uberioſiorem gratiam confert ob ſtigmata Chriſti, quæ martyr portat in corpore, & quibus ſententia plurimorum reſpondet glorificatio illa, quam appellant *Aureolam.*

A ratione argumentantur primo. Opus externum eſt peccatum diverſum ab opere interno; cum utrumque diſtinctis prohibeatur præceptis. Duplici autem peccato gravior pœna debetur, quam uni. Ulterius in Confeſſione peccatum externum aperiri debet, nec ſufficit exprimere voluntatem. Addit ergo operatio voluntati pravæ peccati pondus, & gravitatem. Tandem externus actus eſt per ſe ſatisfactorius. Ergo & per ſe habet rationem meriti.

R. ad 1. peccatum externum unum eſſe cum interno, & tamen multiplicari mandata, ne quod latet in corde ulterius progrediatur, ut explicavi in Prænotatione theſis. Aut reſpondetur cum Gregorio Ariminenſi diſt. 42. concl. VII. ad 5. multiplicari numerum peccatorum per actus, malitiam vero per voluntatem: ideoque opus externum, atque internum eſſe duo peccata, & habere eandem malitiam: duo peccata, quoniam actus duo ſunt; unam vero malitiam, quia eſt una in utriſque voluntas. Ad 2. dicimus actum externum eſſe revera peccatum, & lege prohibitum, licet malitiam habeat à deliberatione voluntatis derivatam: dicimus in ipſo opere magis cupiditatem ferveſcere: dicimus poſſe inde oriri ſcandala, debitum reſtitutionis, impedimenta matrimoniorum, cenſurarum vincula, & incommoda alia complura. Debet ergo omnino pateſcere Eccleſiaſtico Judici, ut ab exterioribus indiis percipiat ægritudinem animorum, & ubi detexerit peſtiferi vulnere qualitatem adhibere valeat medicamenta. Ad ultimum facilis eſt reſponſio; nam ſicut externa opera, quæ afferunt afflictionem, & pœnam, non ſunt ſatisfactoria, niſi electione ſuſcipiantur; aut ſi aliquid neceſſario patimur, illud æquò animo toleremus: ita non ſunt meritoria, niſi ratione voluntatis, ac libertatis; & ideo omne meritum operibus ipſis ſatisfactoriis comparatum debet à voluntate libera proficiſci.

10.
Objicitur 2.
a ratione.11.
Reſponde-
tur.